

[Auf dem folgenden Blatt A 2:]

Clarissimo nec non Doctissimo

VIRO

DN PETRO BEHM,

Lycei Elbingensis Con-Rectori

fidelissimo meritissimo.

Inter multijugos Tuos labores, inter Pegasides, qvæ in
hoc primo Anni ineuntis crepusculo, aures Tuas pru-
dentissimas Votis fatigant; Poëma quoque hoc tenuissimum Tibi
insinuatur, Vir Clarissime, Salutat, sed cum summa gratiarum
actione, Vultum illum, illos Oculos, ex quibus Auditores Doctri-
nam, Similes Tui, Amicitiæ sanctitatem & amœnitatem legunt.
Quare merita Tua & Studia, quibus Gymnasium Elbingense
illustrasti, digna sunt, ut in iis totius orbis oculi peregrinentur:
Inter quæ, quale studium in me præstiteris, cum de plurimis,
gravissimisque Tuis occupationibus, cogito, mirabundus obmutesco.
Accipe igitur in pignus debitæ observantiae, rudi minerva elabo-
ratum Poëma, in quo, si quid dignum lectu, unicè Tibi & Doc-
tissimo Viro Dn. Danieli Holstio Poëtæ ingeniosissimo est adscri-
bendum. Mihi scribenti ingenium adspiravit augustus ille Puer,
qui nondum loquendi certus aut firmus, divino fato, jam diser-
tissimorum Hominum facundiam exercet atque confundit. Præ-
gestiebat enim || Animus, nunquam antea visæ jam vero publicè
conspiciendæ Pulchritudinis **Florem** sagaci visu prælibare, in
cujus labris & Genis ingenuis, invidenda Totius Orbis felicitas
ridet ac floret, attamen vagit nata felicitas! frigore tremit,
nudulus Amor! Ah parcite mala frigora mollicellum hunc inquietare
Pullum; Parcite gelidi ventorum Turbines, niveum perflare
corpusculum, Parcite, glaciales, animæ arcanas, amantissimi
Corculi flammulas eventilare. Vos vero formosissimi oculi,
pergitæ cœlum contueri, auguror enim Vos gemella Terrarum
sydera, Syderum Imperatori, nitida nictatione, nutuque svasura,
Stellas ut omnes Cœli vobis posthabeat. Pergite & ab Hoc
Viro Celeberrimo tanquam à **Petra** omnes novercantium Fatorum
fluctus & insultus repercutite, Ejus Genus tanquam frondosam